Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26088
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Quid de istis dicam? Ecce ipsi pharisei legebant et in
eo quod legebant christum sonabant, uenturum spera
bant et presentem non agnoscebant. Iactabant se etiam
ipsi uidentes hoc est sapientes et negabant christum.
et non intrabant per ostium. Ergo et ipsi si quos forte sedu
cerent mactandos et occidendos non liberandos seducerent.
Et hos dimittamus. uideamus illos si forte ipsi intrant
per ostium qui ipsius christi nomine gloriantur. Innumerabiles enim
sunt qui se uidentes non solum iactant sed a christo illuminatos
uideri uolunt. Sunt autem heretici. forte ipsi per ianuam
intrauerunt? Absit. Sabellius dicit qui filius est ipse est pater. Sed si
filius est non est pater. non intrat per ostium qui filium dicit patrem.
Arrianus dicit. aliud est pater aliud filius. Recte dice
ret si diceret alius non aliud. Quando enim dicit aliud
ei contradicit a quo audit. ego et pater unum sumus.
Nec ipse ergo intrat per ostium. Predicat enim christum qualem sibi
fingit non qualem ueritas dicit. Nomen habet, rem non
habet. Alicuius rei nomen est christus. tene ipsam rem si uis
prodesse tibi nomen. Alius nescio unde sit sicut fotinus christus
homo est inquit deus non est. Nec ipse intrat per ostium quia
christus et homo et deus est. Et quid opus est multa percurrere.
et multa uana heresium enumerare? Hoc tenete
ouile christi esse catholicam ecclesiam. Quicumque uult intrare
in ouile per ostium intret. christum uerum predicet. non solum
autem uerum predicet sed christi gloriam querat non suam. Nam
multi querendo gloriam suam oues christi sparserunt potius
quam congregauerunt. Humilis est enim ianua christus dominus. qui
intrat per hanc ianuam oportet humiliet se ut sano